



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. II. Solvuntur argumenta contra præcedentes conclusiones,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

# DE NATVRA ET QVIDDITATE DEI. 65

pressa; proprie & adaequatè Deo in linea absolu-  
ta attribuatur, secùs autem species expressa?  
Respondebo rationem esse, quòd nominibus  
utendum est ut plures utuntur, & maximè SS.  
Patres; & quia omnes Patres utuntur nomine  
verbi, prout personaliter dicitur, & ut significat  
realem relationem realiter expressi & producēti,  
& ut sic non convenit Deo essentialiter, ideo ab-  
solutè non est dicendum verbum, aut species ex-  
pressa in divinis essentialiter. Species autem im-  
pressa, communī usū sumitur pro eo quod est in-  
tellectu ratio intelligendi ex parte principij, si-  
ne realē relationē, sive rationis tantum, ad  
intellectionem, & rem intellectam importet; &  
quia pro priori ad relations, totum hoc in Deo  
reperitur, consequens fit ut species impressa ab-  
solutè essentialiter dicatur. Quā ratione discri-  
minis usus est D. Thomas quæst. 4. de verit. art.  
2. ad 7. ad explicandum, cur absolutè concedatur  
in Deo amor in linea essentiali, secùs autem ver-  
bum: quia nempe verbum, in communī usū SS.  
Patrum, realem processionem importat, amor  
autem solùm denotat processionem secundum ra-  
tionem.

**§3.** Dico tertio: Rationem speciei impressæ &  
expressæ iam explicatam, non distingui virtualiter  
in Deo ab ejus essentia, intellectu, vel intellec-  
tione; sed tantum distinctione rationis, funda-  
tā in modo nostro concipiendi res divinas, per  
similitudinem & analogiam ad res creatas.

Probatur primò ex verbis D. Thomæ in pri-  
ma conclusione relatis, quibus asserit quod in  
Deo intellectus, id quod intelligitur, species intel-  
ligibilitas, et ipsum intelligere, sunt omnino unum  
& idem. Hac enim particula, omnino, distin-  
ctionem omnem, etiam virtualem, videtur ex-  
cludere: præfertim cùm D. Thomas eandem  
identitatem agnoscat in Deo, inter speciem, na-  
turam, & intellectum, ac inter intellectum, &  
intellectionem, que in illo identificantur sine di-  
stinctione virtuali, ut suprà ostensum est.

**§4.** Probatur secundò ratione fundamentali, de-  
sumpta ex principiis suprà statutis: ostendimus  
enim quod simplicitas & puritas esse divini, re-  
quirit summam identitatem earum formalitatum  
quaे ad eandem lineam pertinent; ita ut à prima  
potentia usque ad ultimum actum, omnia iden-  
tificantur perfectissimè, & sine ulla distinctione,  
etiam virtuali: Atqui gradus intellectivus, hac  
omnia intra se directè continent, quasi ad unicam  
lineam per se pertinentia: nempe naturam, seu  
radicem intelligenti, potentiam proximam, spe-  
ciem impressam, objectum intelligibile, actualē  
intellectionem, & denique speciem expressam,  
seu verbum, quod est terminus ejus intrinsecus:  
Ergo hæc omnia in Deo sine ulla distinctione,  
etiam virtuali, perfectissimè identificantur. Per  
verbum autem, seu speciem expressam, non in-  
telligimus verbum notionale & personale, quod  
personaliter distinguitur à dicente, & virtualiter  
ab essentia divina, sed verbum essentialē & com-  
muniter dictum, quod impropriè & inadæquatè  
reperitur in Deo, prò priori ad divinas relatio-  
nes & personas, ut in praecedenti conclusione ex-  
posuimus.

**§5.** Dico ultimò: rationem habitus non esse in Deo  
formaliter, sed tantum eminenter. Est contra  
Arragam Traft. de Scientia Dei disp. 15. sect. 3.  
subsecione 4.

Probatur primò: Ratio habitus supponit ratio-  
nem potentiarum, cùm sit ejus determinatio, &

A cùm quilibet habitus ordinetur ad præstandam  
potentia proportionem, & facilitatem ad aënum:  
Atqui ratio potentia non reperitur formaliter in  
intellectu divino, sed tantum eminenter, ut supra  
ostendimus: Ergo nec ratio habitus.

Probatur secundò: Habitus est actus medius in-  
ter potentiam & aënum, ut docet D. Thomas i,  
contra Gent. cap. 92. unde habentes habitum dor-  
mientibus comparantur: Sed actus medius inter  
potentiam & aënum, imperfectionem potentia-  
litatis importat, & aëui puro repugnat: Ergo &  
ratio habitus.

Probatur tertio: Habitus ex sua ratione formalis  
supponit potentiam imperfectam in linea poten-  
tia: Ergo non potest in Deo formaliter reperi-  
ri. Consequens patet, Antecedens probatur. Ha-  
bitus ex sua ratione ordinatur ad præstandam po-  
tentia virtutem, proportionem, vel facilitatem  
ad actum: Ergo supponit potentiam de se care-  
tem virtute vel proportione cum actu, vel facili-  
tate ad illum: Sed potentia carens virtute, pro-  
portione, aut facilitate ad actum, est imperfecta,  
ut constat: Ergo habitus ex sua ratione formalis  
supponit potentiam imperfectam.

## §. II.

### Solvuntur argumenta contra precedentes conclusiones.

86,

**O**bijctis primo contra primam conclusio-  
nem: Species intelligibilis requiritur ad in-  
tellectionem, ut vicaria objecti, ejusque similitu-  
do: Sed hæc formalitas non potest salvari in Deo,  
cùm essentia divina immediatè per seipsum ad  
intellectionem concurrat: Ergo in Deo ratio spe-  
ciei intelligibilis nequit formaliter reperi-  
ri.

Respondeo primò, negando Majorem: sub-  
stantia enim Angeli haber rationem speciei intel-  
ligibilis in cognitione sui, & tamen non est sui  
vicaria, nec sui ipsius similitudo.

Respondeo secundò: Quod quamvis daretur  
hoc esse de ratione speciei creatæ, non tamen effec-  
tus ratione speciei ut sic, & prout analogice con-  
venit Deo & creaturis: species enim secundum  
hunc conceptum analogicè communem, solùm  
importat quod sit perfectissima objecti repræsen-  
tatio, & quod illud intelligibiliter uniat cum po-  
tentia cognoscente, simulque cum illa ad intellec-  
tionem concurrat, quod perfectissimè convenit  
essentia divina.

Objiciunt secundò quidam recentiores Tho-  
mistæ, contra tertiam conclusionem: D. Thom-  
mas quæst. 7. de potentia art. 6. in 1. sent. dist.  
2. quæst. 1. art. 2. & in 3. dist. 35. quæst. 1. art. 1.  
ad 2. & dist. 2. 2. quæst. 1. art. 3. ad 4. docet quod  
quia sapientia & bonitas dicuntur de Deo &  
creaturis, non æquivocè, sed analogicè; & in  
creaturis ratio sapientia non est ratio bonitatis,  
differunt in Deo sapientia & bonitas, distinctione  
rationis ratiocinata: Atqui ratio speciei, ra-  
tio naturæ, & ratio intellectionis, non æquivoc-  
è sed analogicè dicuntur de Deo & creaturis, &  
in creaturis ratio speciei, non est ratio naturæ,  
nec ratio intellectionis: Ergo species, natura, &  
intellectio distinguuntur in Deo ratione ratiocinata,  
id est distinctione rationis cum fundamento  
in re, qua virtualis appellatur.

Respondeo primò: quod si hic discursus vale-  
ret, probaret non solùm rationem naturæ, in-  
tellectionis, & speciei, virtualiter in Deo differ-  
re, sed etiam rationem essentiaz, & existentiaz,

87,

I

88,

Tom. I.

& rationem essentiae & naturae, quod tamen à Thomistis communiter non admittitur. Sequela Majoris probatur: quia similiter illa non dicuntur de Deo & creaturis aequivoce, sed analogice, & in creaturis ratio essentiae, non est ratio existentiae; sicut nec ratio essentiae, ratio naturae: haec enim in creaturis realiter, vel saltem virtualiter distinguntur: Ergo si ex eo quod ratio speciei, naturae, & intellectus, de Deo & creaturis non aequivoce, sed analogice dicuntur, & in creaturis ratio speciei, non est ratio naturae, nec intellectus, licet inferre, haec virtualiter in Deo distingui: ex eodem principio sequitur, essentiam & existentiam, ac natu-ram & essentiam, in Deo etiam virtualiter differre.

89. Respondeo ergo secundò, quod quando D. Thomas dicit quod in creaturis ratio sapientiae, non est ratio bonitatis, per ly *ratio sapientiae, & ratio bonitatis*, intelligi debet propria ratio formalis illarum perfectionum; intendit enim S. Doctor, quod quia bonitas & sapientia in rebus creatis, ex propria ratione formalis distinguntur, & non ex sola limitatione & potentialitate crea-tura: eo quod pertineant ad diversas lineas, & diversa objecta formalia respiciant (ut antea ex-po-suimus) ratione ratiocinata, seu virtualiter in Deo distinguntur. Unde cùm natura, species, & intellectus, ad eandem lineam pertineant, & non differant in rebus creatis ex propria ratione formalis, sed ex sola limitatione creature, ex hoc D. Thomas testimonio non licet inferre, haec in Deo virtualiter distingui.

90. Objicies tertio contra eandem conclusionem: Ratio objecti terminativi distinguitur virtualiter à divina natura: Ergo & ratio objecti motivi, in qua consistit species intelligibilis. Consequenter tenet ex paritate rationis, Antecedens probatur. Ratio objecti terminativi divinae intellectus, est ratio veri increati: Sed ratio veri increati distinguitur virtualiter à natura divina: Ergo & ratio objecti terminativi.

Respondeo negando Antecedens, ad cuius probationem, distingo Majorem: Ratio objecti terminativi, est ratio veri increati, ut contracta ad divinam essentiam, concedo: ut habet rationem transcendentis, & ambit naturam, relationes, & attributa divina, nego. Ad Minorem similiter distingo: Sed ratio veri increati, ut ambit tam absoluta quam relativa, distinguitur virtualiter à natura divina, concedo: Ut est contracta ad divinam essentiam, nego. Solu-to constabit ex dicendis articulo sequenti.

91. Objicies quartò contra ultimam conclusio-nem: Omnis perfectio simpliciter simplex, est formaliter in Deo, & non tantum eminenter: Sed ratio habitus est perfectio simpliciter simplex: Ergo reperitur formaliter in Deo. Major est E certa, & constabat ex infra dicendis, Minor vero probatur. Habitus essentialiter consistit in faciliter ad actum: Sed haec est perfectio simpliciter simplex, cum melius sit eam habere, quam ea carere: Ergo ratio habitus est perfectio sim-pliciter simplex.

Respondeo negando Minorem, ad cuius probationem, distingo Majorem: Habitus essentialiter importat in potentia facilitatem ad actum, provenientem ab extrinseco, & ratione aliquius formæ superadditam, & realiter aut virtualiter saltem à potentia distinctam, concedo Majorem. Provenientem ab intrinseco, nego

A Majorem & Consequentiam. Facilitas enim ab extrinseco proveniens, non est perfectio simpli-citer simplex, cum presupponat essentialiter in potentia quam perficit, aliquam imperfectio-nem, nempe difficultatem quam vincat, aut im-proportionem quam tollat: ut constat in poten-tia visiva, quæ quia est de se facilis, & propor-tionata ad videndum, nullo eger habitu ad eliciendam visionem. Unde falsum est quod melius sit talem facilitatem habere, quam non habere; perfectio enim est habere ab intrinseco, & sine illo superaddito, facilitatem & proportionem ad actuum, quam ab extrinseco, & per aliquam formam potentiae superadditam, & realiter aut virtualiter ab ea distinctam.

ARTICVLVS V.  
Quodnam sit objectum formale & prima-  
rium, tam motivum, quam terminati-  
vum divini intellectus?

## §. I.

Referuntur sententiae, & prima reficitur.

C Ita hanc difficultatem variè opinantur Au-thores, omnes tamen sententiae, claritatis gratiâ, ad duas principales revocari possunt, & secunda rursum in tres alias subdividi.

D Prima docet objectum primarium intellectus divini, esse ens ut sic, analogice commune Deo & creaturis. Ita Durandus in i. dist. 35. quest. 1. & Nominales ibidem.

Secunda tenet objectum primarium & specifi-cativum intellectus divini, non esse ens in com-muni, abstrahens à creto & increato, sed ens in creatum. Ita communiter docent Theologi cum Sancto Doctore i. contra Gentes cap. 48. Quia tamen in Deo plures sunt formalites, ne-pe natura, ut radix attributorum & relationum; attributa, relations, & ens divinum & increatum, transcendens omnia quæ sunt in Deo: licet præfati Authores convenienter in assignando pro-objecto primario intellectus divini, ens & ve-rum in creatum; in constitendo tamen, sub qua formalitate, rationem primarij objecti sortiantur, in tres dividunt sententias. Quidam enim rationem entis increati, ut ambientem naturam, attributa, & relations divinas, docent esse ob-jectum formale tam motivum, quam terminati-vum divinae intellectus. Ita ex nostris docet Gonçalez infra quest. 14. & ex extraneis Molina, & Ruiz. Alij distinguunt inter objectum formale motivum & terminativum, & docent objectum formale motivum divini intellectus, esse solam Dei essentiam, ut ab attributis, & relationibus virtualiter distinctam: objectum vero formale terminativum, esse naturam, attributa, & relations; vel ens divinum, ut commune per logicam transcendentiam, omnibus prædicatis divinis. Que sententia à quibusdam tribuitur Nazario, sed immerito: ille enim i. parte quest. 14. art. 5. controv. 2. notab. 6. exp̄s̄ docet, quod essentia divina est divini intellectus ob-jectum adæquatè motivum, & primarij termi-nativum, & ratio cognoscendi omnia, ut ibi-dem videri potest.

Alij demum (& haec sententia communior est in Schola Thomistarum, eamque ex extraneis am-plectuntur Suarez, Vazquez, & Granado) docent